

ITALIA,

In qua hæ continentur Regiones.

Lombardia.
Venetia Ducatus.
Liguria, Genuæ Duc.
Friuli Duc.
Istria.
Romandiola Comitatus.
Thuscia Ducatus.
Spoletanus Ducatus.
Anconitana Marchia.
Latium, nunc Campagna di Roma.

Abruzzo, Aprutium, Samnites.
Terra di Lavoro, Campagna felice, Principatus.
Apulia Daunia plana, Regnum.
Lucania, Basilicata, Principatus.
Terra di Barri, Apulia Peucetia.
Terra di Otranto, Regnum.
Calabria Superior Regnum.
Magna Græcia.
Brutij, Calabria Inferior,

Regnum Neapolitanum magnam harum regionum partem completitur.

Quia paucissimi Comitatus & Dominia mihi per Italiam & Græciam innotuerunt, & eorum pleraque nomina ac loca in Tabulis assignari nequeunt ob Tabularum quæ exstant imperfectionem, ideo paucis exceptis hoc labore supersedebo. Quilibet studiosus quoescunque invenerit annotare facile poterit. Pulcherrima esset in Politicis speculatio, si omnium Regnorum nobilitas, & officia singulorum, locaque Dominiorum hota essent. Quisque in sua hoc præstans patria laudem merebitur.

ITALIA.

Sic se habet, & universim & speciatim Germania: jaminunc, ea qua potui fide perlustrata, *Italiam* iagredior: *Italiam*, Regionem Diis sacram, inquit Plin.lib.iiii Natur.Histor.cap.xx: totius Europæ beatissimam, optimamque, omnium prope Terrarum Alumnam, Rerum Dominam, Principem Gentium, Mundi Reginam. Varias habuit olim appellations. Dionyfius Halicarnassæus lib. i Romanarum Antiquit. Regionem hanc nobilissimam Indigenas vocasse scribit *Saturniam*: Græcos vero *Hesperiam*, *Ausoniam*, *Oenotriam*: Herculis denique tempore dici coepisse *Italiam*. *Saturnia* dicta fuit a Saturno Rege. Verum hæc appellatio non ad totam *Italiam*: sed tantum ad ejus partem, quæ & *Latium*, pertinuisse videtur. *Hesperia*, vel ab Hespero Atlantem Fratrem fugiente, ut vult Hyginus: vel ut Macrobius placet, ab Hespero Itella quæ Latinis est Vesperugo: quod ad Occasum spectet: *Ausonia* ab Ausone. *Oenotriam* dixerat, a Vini bonitate, aut ab Oenotro Sabinorum Rege. *Italia* nomen acceptum ab *Italo*, quem Oenotriæ Regem facit Aristoteles. Festus vero lib. ix *Italianum dictam*, quod magnos *Italos*, hoc est *Boves* habeat, ait, vitulos enim *Italos* esse dictos. Timæus fabulatur appellari, ab *Italo Bove*, uno ex armento Geryonis, qui abactus ab Hercule Siculi Freti angustias tranaverat, Tyrrhena lingua *Italum Taurum* dicente. *Vitalia* quoque quondam dicta, si fides Hellanico, apud eundem Dionysium Halic.lib.Antiq.Rom. Alias veteres *Italiae* appellations, quod non

Regis.

Nomina.

*Aquibus & cur
inaria.*